

## §. 829.

In deo nulla est imperfectio, §. 828. Ergo nec essentialis, nec accidentalis, nec interna, nec externa, §. 121, 88. Idem patet ex §. 813.

## §. 830.

In deo est ratio sufficiens, cur ipsi inexstant ipsius perfectiones, §. 822, 823. Ergo vis stricte dicta, §. 197. Hinc deus est substantia, §. 199.

## §. 831.

Deus habet vim, §. 830. maximam, §. 812. Ergo plurimis maximis actuandis accidentibus sufficientem, §. 203.

## §. 832.

Accidentia non existunt extra suas substantias, §. 194. Ergo vis actuandis plurimis maximis accidentibus sufficiens, sufficit actuandis plurimis substaniis. Ergo omnibus, §. 191, 247. Vis alicui actuando sufficiens est POTENTIA.\* Hinc OMNIPOTENTIA \*\* est vis actuandis omnibus sufficiens. Deus est omnipotens, §. 831.

\* Gewalt. \*\* Allgewaltigkeit.

## §. 833.

Absolute impossibilia nihil sunt, §. 7. Ergo qui posset absolute impossibilia, nihil

Y 2

pos-